



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qui fuerint Origenis discipuli. Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

*De Fabiano, quomodo Romanorum episcopus diuinitus præter
omnium opiniones designatus sit.*

CAP. XXII.

Simulatque Gordianus post Maximinū Romanorum Imperiū obtinuerat, & Pontianus ecclesiæ Rom. Pōtificatū per sex annos gesserat, in eius locū Anteros surrogatus est: in cuius ministerium, cum ad mensem eo perfunctus esset, Fabianum delectū ferunt. Post Anterotis mortem, aiunt Fabianum vnā cum aliis ex agro Romanam commigrasse, ibique sua collocasse domicilia: vbi, diuina & cœlesti gratia largiente, ad Cleri administrationem mirandum in modum euectus est. Nam cū omnes fratres causa deligendi eius, qui episcopatum gereret, in ecclesia conuenissent, & multi de multis illustribus & præclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, quanquam Fabius, qui tum forte præsto erat, nemini in mentem venerat, de repente tamen columbam è sublimi deuolantem (quæ similitudinem spiritus sancti super Seruatorem in specie colubæ descendens representare videbatur) eius capiti insedisse memorant: ac propterea populū vniuersum pariter vno sacri spiritus instinctu commotum, magna cum alacritate, & vno animo rum consensu eum eo dignitatis gradu dignum clamasse, & absq; mora abreptum illum in sede Pontificali collocasse.

Qui fuerint Origenis discipuli.

CAP. XXIII.

Eodem tempore, simul ac Zebinus Antiochenæ ecclesiæ episcopus è vita decesserat, Babylas ecclesiæ rectionem suscipit. Vbi autem post Demetrium Heraclas episcopatus ministerium Alexandriæ obtinuerat, Dionysius, vnus item ex Origenis discipulis, scholam institutionis ibidem cepessit. Ad Origenem vero Cæsareæ consueta disciplinæ munera exequentem, non solum multi ab indigenis, sed ab exteris etiam regionibus penè infiniti discipuli, patria sua relicta, aduētarunt: ex quibus maximè insignes cognouimus, Theodorum alio nomine Gregoriū appellatū: episcopū sanè præter cæteros

cæteros nostra iam ætate, crebro hominũ sermone prædicatum: & fratrem eius Athenodorum: quorum animis liberalium disciplinarum, tum Græcorũ, tum Latinorum cupiditate supra modum inflammatis & quasi obstupefactis, Origenes diuinæ Philosophiæ & doctrinæ Christianæ amorem sensim instillauit, eosque à prioribus studiis, facta mutatione, ad sacrarum literarum cõmentationem pia sua cohortatione traduxit. Quinquennio integro in eius schola versati, tantam & tam admirabilem in sacrosanctis Dei eloquiis fecere progressionem, vt dum adhuc ambo admodum adolentes erant, ecclesiarum in Ponto crearentur episcopi.

De Aphricano temporum scriptore.

CAP. XXIIII.

PER idem tempus Aphricanus, librorum scriptor, qui *Æsopi* appellantur, magna commendatione ad hominum famam profluxit. Huius de historia Susannæ à Daniele literis prodita, quasi adulterina esset, & commentitia, magnopere dubitantis, extat epistola ad Origenem scripta, Ad quam Origenes per literas plenissimè respondebat. Eiusdem Africani quinq; alii libri de temporum & annalium serie accurata quadam industria elaborati ad nos peruenerunt. In quibus ait se Alexandriam propter incredibilem Heraclæ famam, quæ vbique manauerat, iter fecisse: quem propter Philosophiæ & aliarum Græcarum disciplinarum cognitionem, qua egregiè excellebat, ad ecclesiæ illius episcopatum administrandum delectum esse, supra docuimus. Est etiam alia epistola ab eodem Aphricano ad Aristidem perscripta, de ea quæ putatur esse Genealogiarum Christi apud Matthæum, & Lucam, discrepantia. In qua euangelistarum consensum ex historia quadam, quæ ad sua ipsius tempora integra deuenerat, apertissime tradit: quam equidem oportune in primo libro huius operis, quod habemus in manibus, ab eo petitam citauit.

Vide Suidam & Hiero.

R 3

Quot